Lane Medical Library

DE

SYMPTOMATIBUS GASTROMALACIAE INFANTIUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ELIAS SCHOENLANK

GUBENENSIS.

OPPONENTIBUS:

M. RIES, med. et chir. Dr., med. pract.

E. MOSER, med. et chir. Dr., med. pract.

L. DANZIGER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0150

VIRO

CELEBERRIMO, DOCTISSIMO

FRIDERICO BAREZ,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICINAE IN HAC UNIVERSITATE LITTERARIA PROFESSORI PUBLICO EXTRAORD., CLINICI PAEDIATRICI IN NOSOCOMIO CARITATIS CONSTITUTI DIRECTORI, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE IN TERTIA CLASSE C. L. EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI HUMANISSIMO

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, HUMANISSIMO

M. LIEBERMANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO,

AMICO

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Is medicinae studiosus, cujus multum interest ad lectum aegroti observationes colligere jam intra breve tempus, quod quadriennium vocatur, quo tot et tantae litterae discendae sunt, ne, si in practicum negotium intraverit, sine peritia et usu sequatur illud grave munus a civitate ei impositum: is, inquam, profecto sollicitudine afficietur, cum vis morbi non ita ante oculos suos producatur, uti ex praelectionibus pathologicis eam sibi productum iri existimabat. Symptomata observat varia, quae etiamsi et ex meditatione ipsa et ex pagellis libri sui pathologici in unam redigere imaginem studeat, tamen hoc efficere non potest; et proh dolor, si aegrotans moritur atque ex sectione causa morbi apparet, quae fortasse ne divinata quidem fuerat, tum abjicit animum et eum poenitet his litteris se dedisse, in quibus circumerret sine ulla fide, neque scio an eam ob rem medicina deserta ad alias transeat litteras. Sed miseret me hujus juvenis, qui jam in initio observationum deterreatur ab eo, quod animum addere ei debebat. Plures potius colligat observationes, quibus sensim sensimque oculi ita acuantur, ut ex symptomatibus quamvis variis tamen unum

morbi corpus attingere possit. Sunt scilicet morbi, quos peritissimus quisque, dum spirat aegrotus, perspicue dignoscere nequeat; sed tales casus impellere nos debeant, ut accuratius et attentius observemus. Inter quos morbos, quorum symptomata aeque varia atque incerta inter vitam inveniuntur, Gastromalacia infantium numeranda est.

Equidem munere famuli apud celeberrimum Barezium in policlinico infantum functus, felicissimus mihi videor, quod hodie etiam audio sententias de morbo infantium ab hoc praeceptore propositas, ejusque praecepta in singulis casibus, quae usu mirifice probata sunt: equidem igitur ex hujus viri praeceptis me eruditurus, nunquam eum diagnosin Gastromalaciae certam proponentem audivi, sed percepi dici solum posse hujus morbi suspicionem in aegroto haerere. Quam ob rem occasio cum mihi multos infantes aegrotos observandi oblata esset, qui tempore auctumnali ex diarrhoea et vomitu laborarunt et saepius succubuerunt morbo, qui ex sectione Gastromalacia cognoscebatur: haec non omittenda mihi esse videbatur signa pathognomonica hujus morbi explorandi et distinguendi, quatenus symptomatibus fides habenda esset.

Sed tantummodo ex iis aegrotis, et hi erant novem, qui, sectione post mortem instituta, signa Gastromalaciae offerebant, imaginem morbi oculis proponere studui, nec audacter ex Gastromalacia infantem laborasse contendi, si post mortem sectio permissa non fuerit. Quo in negotio a viro humanissimo ac doctissimo Koerte adjutus et ad complures casus vocatus, ab hoc medico experientissimo symptomata et decursum hujus morbi accuratius intueri didici, quam ob rem ei gratias ago quam maximas. Prae omnibus autem celeberrimo atque hu-

manissimo Barezio me gratissimo animo obstrictum esse confiteor, cum mihi licuerit per duos annos ejus praelectiones clinicas audire atque etiam in magno infantum numero, qui afferuntur, proprio Marte observationes instituere easque praeceptoris dicto aut confirmatas aut refutatas experiri. Quantum vitae fructum hoc ex benigno viri clarissimi animo percepturus sim, etiamsi maxime velim, exponere non possum, eumque usque ad vitae finem mihi colendum esse nunquam obliviscar. Itaque equidem, sicut profecto omnes, qui interiorem cum eo familiaritatem inierunt, ex animo impense opto, ut Deus optimus maximus eum in salutem et ob eruditionem juventutis studiosae, uti valido ingenio, ita firmo corpore servet.

SYMPTOMATA GASTROMALACIAE INFANTIUM.

Jam in prooemio memoravimus symptomata gastromalaciae ita se praebere posse, ut medicus, etsi credere non dubitet ex hoc morbo aegrotum loborare, tamen diagnosin non recte constitutam esse post mortem illius persaepe animadvertat. Quoties infantes medico curandi offeruntur, qui ex diarrhoea et aliis signis, quae usque ad hunc diem semper numerata sunt inter symptomata gastromalaciae, tantopere laborant, ut fere omnis spes vitae servandae abjiciatur: facies est collapsa, clamorem tollunt flebilem, corpus debile imprimis tum, quando jam diutius evacuationes perstiterint, uti apud pauperes saepe fit; parvi aegrotantes extenuati et evacuationibus nimiis et corruptis cibis, inter quos praecipue numeranda est illa puls nimis solida, parvulis oblata, qui lac maternum non accipiunt (Päppelkinder), ab alienis hominibus, quibus custodiendi traditi sunt, negliguntur et fortasse non ita magnos dolores parant, si e vita decedunt. In ejusmodi rebus infans, etsi usque ad supremum exhaustus est, tamen – neque id raro – si remedia apta adhibentur, curatur; symptomata paullatim evanescunt et paullo post infans dimittitur sanatus. Num igitur aegrotus e

gastromalacia sanatus est? Hoc nemo pro certo contenderit; contemplanti enim, quam difficilis illius mali cognitio sit, ea exempla, quae a medicis perhibentur documenta gastromalaciae sanatae, semper suspecta videbuntur. Eam igitur ob rem, quod tam saepe fallimur, ex iis aegrotantibus, qui post mortem illam ventriculi affectionem exhibuerunt, signa pathognomonica morbi, inter vitam elucentia, digerere conabor et demonstrare, quatenus iis fides habenda sit.

Diarrhoea. Hoc quidem est symptoma, quod semper invenitur et in plerisque casibus tam vehemens, ut numerus evacuationum paene distingui possit, quoties enim evolvitur infans e fasciis, toties eae sunt madefactae. Hanc quoque ob causam res ab infantibus evacuatae, quales sint, difficilius est exploratu quam apud adultos, quod liquida earum pars linteis imbibitur. Saepius offertur oculo massa aut viridis et fusci coloris, aut subflavi et albidi, interdum quoque sanguinei; semper evacuata sunt aquatica et saepius tam foetida, ut jam eminus odor vix ferri possit. Plerumque diarrhoea ante vomitum adest, usque ad mortem in plerisque casibus persistens et interdum talis, ut remediis validissimis, uti argento nitrico, tincturae ferri muriatici ceterisque resistat, omniaque frustra adhibeantur. Neque tamen semper morbus ipse tam diutinus est, sed oritur diarrhoea tantum modo diebus aliquot ante exitum lethalem. Qua in re non praetermittendum puto nonnunquam, ut primum cibus praebetur sive lac sive puls, statim per tubum intestinalem illum se volventem audiri posse, quasi per utrem, cui organica vita non inest.

Vomitus. Ut diarrhoea, ita vomitus apud homines ex gastromalacia laborantes semper adest, neque solum cibo sumto,

sed etiam sponte prorumpens animadvertitur. Quod evomitur est fluidum acidissimum, quamobrem lac semper ejicitur coagulatum et propter acidum aceticum et propter acidum muriaticum, quae sunt praecipuae materiae eorum, quae effluunt. Vomitus ipse tam facili negotio efficitur, ut rucius potius nominari possit; exigua jam muscularis vis ventriculi sufficit, musculique faciei soli esse videntur, qui forti contractione celerrime et procul in longum spatium ejaculantur et expellunt contenta ventriculi. Quod ad tempus pertinet, quo vomitus intrat in decursu morbi, plerumque tum demum incipit, si diarrhoea jam paullisper antea exstitit, et raro tantummodo usque ad ultimum momentum vitae persistit, sed plerumque duodecim aut sedecim fere horis ante mortem cessat: qua re medicus nova tenetur spe, sed ea falsa, nam signum deficientis vomitus est signum mortis appropinquantis. Neque tamen ubique id accidit, sed cum accidit, satis certo conjici potest, in sectione non solum ventriculum, sed etiam oesophagum aut cardiam mollita inventum iri. Nonne ei, qui hac observatione nititur, in mentem venire possit, causam, cur cesset vomitus ante mortem, in eo quaerendam esse, quod oesophagus, quia etiam mollitus sit, non jam eam habeat vim muscularem, quae ad expellendas materias necessaria est? At hoc non pro certo affirmaverim, sed tantum velut quaestionem proponam; nescio tamen an medicis attentius eo spectandum sit, num gastromalaciae suspicio eo major reddatur, si brevi ante mortem vomitus plane desinat.

Sitis. Sitis, quamquam non est symptoma tam certum, uti diarrhoea et vomitus, et interdum non adest, in plerisque tamen casibus non deficit, plerumque nimis magna et saepius

infantis cupiditas bibendi tam ardens est, ut vis vehementi potandi desiderio satisfieri possit. Quae sitis, cum tanto gradu invenitur, perdurat ab initio morbi usque ad finem.

Clamor. De voce doloris, cum adest, ut fere semper fit, mihi paullo accuratius disserendum videtur, quod longe differt a clamore doloris in morbis aliis. Clamor scilicet non talis est, qualis plerumque editur laesione accepta, uti in operatione chirurgica, maxime dolente; nec est, ut exemplo utar, clamor feminae laborantis ex vehementi inflammatione uteri, aut aliorum organorum, in febri puerperali affectorum: sed doloris vis magis exprimitur vagitu, nec clamor, si funditur, idem est, qui apud infantes sanos clamantes; est potius peculiaris quaedam vox acutissima (Discantstimme), quam describere minus, quam audiendo cognoscere possumus. Interdum vox rauca auditur, cujus rei causa adhuc non elucebat, quamquam rubor nec faucium nec aliarum partium animadverti poterat, et culpam in nervi vagi affectionem transferendi nullo modo ansa mihi data. Quantis doloribus autem crucientur infantes, jam ex perpetua inquiete, in qua versantur, intelligi potest; semper enim aut clamant aut vagitum edunt, nec per diem, nec per noctem quiescentes perpetuo circumferri se volunt; pedes attrahunt ad ventrem et quid patiantur, exprimit statim aegrotantium facies, quae quidem collapsa oculum habet languidum, marginem coeruleum circumeuntem orbitam, in quam oculus quasi depressus conspicitur.

Huc accedunt etiam alia symptomata, ab aliis quidem harum rerum scriptoribus allata, quo pertinet inflatus venter atque dolens, si premitur. Mihi autem illud non symptoma perpetuum esse videtur, cum saepissime venter non inflatus

inveniatur, et quod tactu eum doloribus affici dicunt, vix id accurate discerni possit, quia infantes, qui Gastromalacia laborant, semper clamorem edunt flebilem, eundemque maxime, ubi hominem ipsis ignotum vident appropinquantem, quam quidem satis idoneam esse causam clamoris ab infantibus editi liquet. Quin igitur incertum sit symptoma modo allatum, dubitari vix potest.

Quod ad febrem pertinet, haec semper est asthenica, pulsumque cum frequentem tum debilem esse eo minus miremur, quoniam aegrotus et diuturnis evacuationibus et doloribus affectione maligna evocatis summum in gradum exhauritur. Augetur autem maxime febris, si complicata est Gastromalacia cum affectionibus pulmonum, id quod saepissime evenit, viribus tussi, symptomate aut bronchitidis aut pneumoniae, absumtis; nec minus, si complicatio cum hydrocephalo acuto pulsuum frequentiam ad eum gradum effert, ut singulares ictus cordis nullo modo numerari possint.

Causa morbi. Alii scriptores refrigerationem corporis causam morbi dicunt; alii cum a nutricis uberibus auferatur infans, praecipue Gastromalaciae eum subjectum esse; alii iis infantibus praedispositionem morbi tribuere videntur, qui lac maternum non accipiunt et pulte nutriantur, alii remediis purgantibus diutius quam par est adhibitis culpam tribuunt; alii dentitionem existimant supremam causam Gastromalaciae, quae omnes causae multis aliis etiam hujus generis cumulantur. At qui sine ullo partium studio morbos varios infantium inquisiverit, non recte judicare intelliget eum, qui ex causis supra allatis unam quandam petat, ad morbum provocandum solam idoneam. Quot enim infantes pulte sola fruuntur, quo cibo

crescunt et bene nutriuntur; quot curandi medico traduntur infantes, qui refrigerati laborant ex diarrhoea vehementissima et vomitu gravissimo, quot denique infantes ex dentitione maximas ferunt molestias, qui omnes, recta medendi ratione adhibita, sanantur? Meditanti porro non infantes solum debilis et infirmi corporis Gastromalacia corripi, sed etiam eos, qui bene nutriti sint, quorum numerus minime est exiguus, certam aliquam hujus morbi causam tradi vix posse patcat. Sane quidem hic et illic morbum ex hac vel illa causa ortum esse verisimile videatur, quippe cum aut mala nutritio, aut dentitio, aut diarrhoea ex refrigeratione contracta aliaque accusari possint, ex quibus Gastromalacia exoriatur; tempus tamen si respexeris, negari nequit, plerumque hunc morbum in ea tempora cadere, quibus et diarrhoeae et dysenteriae maxime afficiunt infantes, id quod plerumque fit vere aut autumno, mensibus Majo, Junio, praecipue autem mensibus Augusto et Septembri. Animadversio igitur epidemiam fortasse illam esse, qua infantes in hunc morbum incidant, si ex aliis observationibus faciendis recto comprobetur, nostrae rei lumen aliquod afferre possit. Nunc certam aliquam causam proferre, quae Gastromalaciam in vivo corpore efficiat, temeritatis esse videatur.

Novem historiae morbi infantium, quos ex Gastromalacia laborasse sectio instituta probavit.

Maria Petroschke, puella satis firmi corporis, novem menses nata, morbo implicita est die vigesimo primo mensis Martii a. MDCCCXLIII. Decursus morbi a medico non observatus est, cum hic mortua demum infante advocaretur, quam ob rem nulla certa symptomatum enarratio tradi potest. Ac-

grota ab initio morbi usque ad obitum perpetuo vomuisse et post quadraginta horas inter convulsiones mortua esse dicebatur; praeterea matris verbis ad morbum pertinentibus hydrocephalo acuto infans periisse videbatur. Hac igitur mente sectione suscepta ne minima quidem exsudatio in ventriculis cerebri, in cavitate autem thoracis oedema pulmonum inveniebatur; sed cavo abdominis aperto ventriculus usque ad cardiam plane mollitus apparuit.

II. Alexander Steinert, puer decem mensium, aegrescebat die trigesimo primo mensis Augusti a. MDCCCXLIII, cum tres menses natus fuit. Syphilide, qua afficiebatur, summum in gradum debilitatus erat. Etiamsi usu calomelanos hoc morbo liberaretur, tamen semper tenui valetudine utebatur, praesertim quum lac maternum non acciperet, sed pulte male praeparata nutriretur. Diarrhoea vehementi laborare coepit, quae, cum nullis medicamentis, ne argento quidem nitrico nec tinctura ferri muriatici expugnari posset, per menses aliquot durabat; hanc ob rem macie magis magisque aucta, infans tussi perpetua medici animum ad pneumoniam convertente cruciabatur. Num vomitus affuerit, id memoriae elapsum. Etiam memoratu dignum est totam cutem aegrotantis multis parvis abscessibus quasi conspersam fuisse. Quid mirum igitur, infantem tandem succubuisse morti? Sectione instituta in cavitate thoracis, cum pneumonia lobularis inveniebatur, ne minima quidem aderat affectio tuberculosa; sed cavo abdominis aperto membrana mucosa ventriculi et decem locis etiam membrana muscularis omnino mollita cernebatur, praetereaque copia parvarum laciniarum nigri coloris.

III. . . . . ., puer quidam, qui lac maternum nunquam

acceperat, semperque, quod in domicilio minime salubri habitabat, aërem corruptum spirans, diutius ex diarrhoea laborabat, contra quem morbum argentum nitricum adhibebatur; vomitus ultimo demum die vitae accessit, sitis magna, clamor ejusmodi sicut supra memoravimus. Circiter viginti quattuor horis post mortem, quae celerrime secuta est, sectio instituta, capite quidem excepto, quod secare non licebat, integra organa demonstravit praeter ventriculum, cujus saccus coecus fere plane mollitus erat.

IV. . . . Heim, puella decem mensium, firmi corporis, bene nutrita, cujus caput secundum aetatem bene excultum die octavo mensis Sept. a. MDCCCXLIII ex diarrhoea laborare coepit; excreta flava et aquosa; mox vomitus accessit, magis ructus nominandus nec usque ad mortem perseverans, sed circiter duodecim horis antea desinens; sitis moderata tantummodo; num ille clamor affuerit, hoc memoriae excidit; statim ab initio infans erectum habere non potuit caput, quasi sui ipsius pondere premeretur; ardor in eo inerat; omnia signa hydrocephali acuti, quae quidem et calomelane et applicatione hirudinum et fomentationibus frigidis remota sunt. Postea autem signa gastrica praevalebant et quattuor diebus post initium morbi inter convulsiones decessit infans. Secto capite ex meningitide infantem laborasse cerni potuit, nam non solum vasa praeter modum sanguine completa erant, sed etiam extravasatio liquoris in ventriculis cerebri exstabat. Ventris sectione tota membrana mucosa ventriculi mollita inveniebatur, et uno loco etiam muscularis conversi status particeps erat, nec minus quam in eo casu, quem secundum descripsimus, parvae laciniae subnigri coloris conspiciebantur.

V. M. O. puella quindecim mensium bene nutrita, die vigesimo secundo mensis Nov. a MDCCCXLIII ex bronchitide laborare coepit, quae fortasse ratione nimis antiphlogistica tractata est, quum huic parvae infanti intra octodecim fere horas tria grana tartari stibiati data sint, quod remedium vehementissima secuta est diarrhoea, usque ad mortem persistens; bis ex remedio vomitus apparebat, qui postea subito sponte desiit, sitis tantum modica; praeterea raucedo, cujus causa exquiri non potuit, per dies aliquot affuit. Postquam morbus duos dies duravit, infans obiit. Sectione praeter bronchopneumoniam non solum omnes membranae ventriculi, sed etiam oesophagi et intestini jejuni mollitae inveniebantur.

VI. Mueller, trium mensium, et lacte materno et pulte bene nutritus, sexto decimo die mensis Maji a MDCCCXLIV ex vehementi diarrhoea laborare coepit, in quam frustra tinctura ferri muriatici adhibebatur; excreta aquosa, subfusci coloris et mirum in modum foetida. Post duos dies vomitus accessit, lac evomitur coagulatum, nec tam facile ejicitur, uti ab aliis infantibus e Gastromalacia laborantibus. Quae duo symptomata et diarrhoea et vomitus octo horas ante obitum plane desierunt. Sitis permagna, clamor acutus et penetrans; oculi torquentur, pedes ad ventrem attrahuntur; facies collapsa et summum exprimens angorem. Postquam quattuor dies et dimidium laboravit infans, defunctus est. Sectione facta ventriculus a cardia usque ad saccum coecum mollitus cognoscebatur.

VII. Neumann, puella duos menses et dimidium nata, infirmi corporis et tres septimanas tantummodo lactata, postea

a matre, cui quidem fides non satis habenda erat, nutrita esse dicitur jusculo e carne vitulina cum lacte mixto. Suspicio erat, matrem morbo syphilitico affectam fuisse. Infans septimo die mensis Junii a. MDCCCXLIV ex vehementi diarrhoea laborare coepit; simul aderant vomitus, spasmi; quod ex alvo ejiciebatur, aquosum fuit, subfuscum et valde foetidum; quod ex ore, peracidum et eam ob rem lac coagulatum. Quae evacuationes ex ore, quamvis turbida vi, tamen negotio facili expulsae sunt; sitis permagna; clamor talis uti descriptus est. Jam a primo vitae momento magna cruciabatur infans inquiete, somnus perpetuo paucus, jam saepius vomitus, sed quod ad alvi evacuationes pertinet, eae ut apud sanos infantes. Postquam autem illo die pernicioso vomitus et diarrhoea cum spasmis exstiterant, jam post tres dies defuncta est puella. Viginti horis post sectione instituta emphysema pulmonum late extensum reperiebatur, nec minus glandula thymica etiamnunc permagna, etsi inter vitam nulla symptomata asthmatica aderant. Membrana mucosa ejus partis ventriculi, quae saccus coecus nominatur, mollita et vestita muco vitreo et laciniis nigris; membrana muscularis non affecta.

VIII. Henneberg, puer quindecim menses natus, corpore macie affecto, quod post ablactationem pulte male praeparata nutriebatur, semper diarrhoea laborans, septimo die mensis Junii MDCCCXLIV hoc malo rursus vehementer vexabatur; excreta aquosa, fusci coloris et foetida; collapsus virium, circa os et nasum color ad coeruleum vergens; caput infantis modo ardens, modo frigidum; sitis permagna, sed vomitus et ille clamor, uti supra descriptus est, omnino deerant. Postquam per quattuor dies aeger fuit infans, de-

functus est. Sectione post viginti octo horas instituta, emphysema vesiculare pulmonis sinistri cernebatur, nec solum pars ventriculi, quae saccus coecus et cardia nominatur, mollita fuit, sed etiam pars infima oesophagi.

IX. O. P., infans geminus octo mensium, bene nutritus, qui tam lacte materno quam pulte alebatur, die decimo octavo mensis Junii ex vehementi diarrhoea laborare coepit; post dies aliquot vomitus permagnus accessit, qui facili negotio consequebatur et durabat fere usque ad vigesimam horam ante mortem; sitis magna quidem, sed non immodica; clamor non acutus, sed potius quiritatio nominandus. Postquam infans sex dies morbo laboravit, defunctus est. Sectione post triginta sex horas facta membrana mucosa ventriculi rubella et fere rosea inveniebatur, atque etiam fundus, qui mollitus apparebat, rubeoli erat coloris.

Tres morbi infantium, quos ex symptomatum serie Gastromalacia laborasse suspicio exstitit, sed mortuos secare non licuit.

I. Guilelmus, puer decem mensium, firmo corpore, prima aetate lacte materno, tum autem pulte fructus die tertio mensis Sept. MDCCCXLIII diarrhoea laborare coepit, evacuationes erant nimiae; excreta aquosa et usque ad mortem frequentissima, secundo die morbi vomitus accessit, ructus magis nominandus, quo copia et acidorum et coagulatorum reddita est; sitis permagna, facies collapsa; clamor flebilis et acutus. Morbo tres dies explente decessit infans. Sectio non instituta.

II. Lejeune, puer decem mensium, bene et accurate nutritus, die secundo mensis Sept. MDCCCXLIII diarrhoeam

cruentum pati coepit. quae usque ad mortem exstabat; secundo fere die morbi vomitus accessit, usque ad sedecim horas ante mortem persistens; sitis magna; clamor ejusmodi, uti descripsimus; post tres dies fato functus est infans. Sectio non permissa.

III. Karras, puer trium annorum, infans bene nutritus fortis, flavis capillis, originem duxit ex familia, in qua jam multi infantes morbis scrophulosis laboraverant. Octavo die mensis Sept. MDCCCXLIII alvi exstitit fluxus, qui usque ad obitum duravit; mox vomitus copiosus vel ructus potius, usque sedecim horas ante mortem persistens; sitis permagna. Morbus postquam quattuor dies constitit, mortuus infans. Sectio non permissa est.

Qui hanc nostram morborum descriptionem paullo attentius perlegerit, facile concedat infantem Gastromalacia laborantem vix posse sanari; sed negari non potest saepenumero casus ejusmodi existere, ex quibus sanatio morbi demonstrari posse fortasse videatur. Quum scilicet omnia signa a nobis descripta adsint, unde fit, ut medici omnino spem sanandi abjiciant; attamen remediis idoneis allatis sensim sensimque mala signa desinunt, usque dum aegrotus plane reficiatur. Etiamsi diagnosis, uti persaepe ex cel. Barez praeceptore meo audivi, semper sit dubia neque unquam certo constitui possit, eamque etiam ob rem medicis, se sanavisse morbum dicentibus, fides fortasse non habenda sit: tamen non ita raro sanatio facta esse videtur, saepiusque infantes vidi, qui, quamqam omnia symptomata

Gastromalaciae praebebant, tamen convaluerunt. Ex numero hujus morbi majore, cui et affui et mentem applicavi, unus mihi casus vel maxime dignus videtur, quem accuratius cognoscemus.

Aemilius Teinert, tres natus menses, non ita infirmo corpore, qui et lac maternum et pultem bene praeparatam acceperat, jam a prima aetate inquiete magna vexabatur, ut fere totum diem totamque noctem, cum dormire non posset, a matre circumferretur necesse esset. Ad diarrhoeam jam diutius inclinavit infans, sed circiter duos menses natus diarrhoea tanta facta est, ut quotidianus evacuationum numerus vix referri posset, nam involucra semper erant humida neque unquam sicca. Sitis aderat permagna, nec fieri potuit, ut expleretur; puls aut lac modo sumtum, statim aut per alvum rursus effundebatur, aut vomebatur, vomitus nimirum una cum diarrhoea apparuerant. Quibus malis inquies infantis usque ad gradum supremum evecta est, clamore semper edito flebili; pedes attrahebantur ad ventrem, qui doloribus affectus videbatur. Hic status, sicut modo descripsimus, per tres septimanas perstitit; infans etiamsi macresceret tot evacuationibus, tamen ejus debilitas non ita augebatur, uti exspectabas. Et contra diarrhoeam et contra vomitum multa remedia frustra adhibita sunt et radix colombo, et opium et tinctura ferri muriatici, denique argentum nitricum; etiam hoc remedium bis porrectum sine ullo successu. Tum arg. nitr. solutum non in decocto rad. althaeae, sed tantummodo in aqua destillata solutum guttatim datur infanti, et mox, sicut miraculo quodam, sensim sensimque desinunt et diarrhoea et vomitus omniaque symptomata, donec infans revalesceret.

Casui, modo relato, cum probet sententiam, perquam incertam esse diagnosin gastromalaciae, quia de sanatione morbi nobis dubitandum sit, alium adjungere licet, ubi viva infante, tota quidem series illorum symptomatum producta, tamen sectione instituta puellam alio morbo correptam fuisse satis evidenter cognitum est.

Aemilia Barth, mensem unum et dimidium nata bene nutrita, jam a primo vitae initio saepius diarrhoea laborabat, quae, cum infans quattuor fere septimanas nata esset, subito tam vehemens exstitit, ut alia ista mala postquam accesserunt, medici mens ad gastromalaciam verteretur: sitis scilicet ingens vomitus perpetuus et facili negotio effectus, uti supra descripsimus; clamor potius vagitus nominandus, attamen non is, qui in hoc morbo fere semper auditur. Ad ea mala profliganda postquam tinctura ferri mur. sine ullo successu administrata fuit, argentum nitricum summa erat utilitate, cum vomitus statim desineret ac diarrhoea, etiamsi aliquot demum post dies tamen tandem removeretur. Infans dein per octo dies integra fuit valetudine, tum autem convulsionibus affecta, duabus horis post morti succubuit. — Sectione instituta praeter modum quidem vasa cerebri sanguine completa cernebantur, sed non eo gradu, e quo subita mors infantis explicaretur. Cavo abdominis aperto ventriculus non mollitus inveniebatur, sed membrana mucosa ejus partis, quae saccus coecus nominatur, rubella et fere rosea apparebat; mucosa ipsa densata.

De medicamentis contra Gastromalaciam adhibendis.

Dubito nonnihil, ut libere loquar, cum hic de curatione

morbi mihi dicendum, num is omnino sanari possit, et illi medici, qui hoc factum esse opinentur, verum viderint; vix ac ne vix quidem possum non vereri, ne falsi sint. Qui enim fieri possit, ut ejus morbi sanationem affirmemus, cujus diagnosin non satis planam atque apertam cognovimus? Num omnino impediri potest, quominus morbus ipse existat? Hoc etiam certo contendere non licet. Nolo quidem hoc loco, uti in omnibus fere pagellis de Gastromalacia scriptis fieri solet, cum Gastromalacia indicat in ea tempora, quibus auferantur uberibus infantes, de ratione dicere, qua pro tempore alii cibo assuefiat infans, quippe quod huc minime pertineat: afferenda tamen ratio esse videtur medendi, quae fuerit in iis aegris qui, quamvis omnia signa pathognomonica gastromalaciae praebentes, tamen sunt sanati. Ne rationem ex libris pathologicis depromtam hoc loco describam et transferam; sed quam et ipse institui et saepissime in policlinico infantium institui vidi, explanaturus sum. Non disseram de acido pyrolignoso, de cupro sulphurico, de plumbo acetico, quae medicamenta ad morbum oppugnandum commendantur a scriptoribus, quippe quibus in morbis infantium usum esse cel. Barez non vidi; sed tantummodo de argento nitrico, de tinctura ferri muriatici, de opio, quod nunquam solum, sed plerumque una cum aliis medicamentis conjunctum est, pauca dicere mihi liceat. Sane quidem sunt casus iidemque, qui decursum habent chronicum nec jam ab initio morbi omnia signa insidiosi mali prae se ferunt, ubi medicus non statim gravissimis illis medicamentis utatur, sed primum leviora adhibeat, uti saturationem ex kali carbonico praeparatam; aut si vomitus nondum prodiit, infusum radicis ipecacuanhae cum pauco opio, aut acidum muriaticum.

Ubi vero haec medicamenta optatum eventum non adducunt, illa graviora advocanda sunt, ex quibus primum nominanda est tinctura ferri muriatici sive sine opio, sive cum eo remedio, cujus formula haec est:

Rcp. Tinct. ferri mur. ʒj (Tinct. thebaic. ℈j) - M. D. S. bin. hor. 2 - 4 gutt. — Aeque ac ferrum muriat. argentum nitricum multum affert utilitatis contra illam diarrhoeam vehementem et contra vomitum. Formulae sunt:

Rcp. Arg. nitr. cryst. gr. β - gr. $\frac{3}{4}$ s. in Dec. rad. Alth. ʒiij - D.S. bin. hor. cochl. minusc.

Rcp. Arg. nitr. cr. gr. β. s. in Aq. dest. ʒij - D. S. bin. hor. gutt. VIII.

Hae formulae etiamsi fere eaedem esse videantur, tamen paullulum differunt; saepius enim vidi, ubi argentum nitr. in decocto radic. alth. solutum nulla fuerit utilitate, ibi idem remedium solutum in aqua dest. mirabilem effecisse successum. Num felicior eventus ex eo fortasse probari possit, quod arg. nitr. in aq. dest. solutum celeriorem vim exserat in membranam mucosam tractus intestinalis, isque hoc remedio nova quasi mucosa vestiatur, hoc mihi non tam asseverare quam suspicari licet.

LITTERATURA.

E. W. CAMERER, Vers. üb. d. Nat. der krankh. Magenerweich. Tübing. 828.

MASS, D. de dissolutione membranar. ventric. Hal. 820.

F. G. GOEDEKE, D. de dissolut. ventriculi s. de digestione quam dicunt ventriculi post mortem. Berol. 821.

RHADES, in HORN'S Arch. 822. Sept. Oct. p. 266.

X. ROUX, Quelques considérations sur la perforation spontanée de l'estomac. Par. 823.

KRUEGER, in HORN'S Arch. 824. II. 1.

TOEL, ebend. H. 3.

RICHTER, ebend. H. 5.

WIESMANN, ebend. 824. Sept. Oct. p. 200.

PICHOT, in Bullet. de la Soc. méd. d'émul. Par. 824.

RAMISCH, de gastromalacia et gastropathia infantum. Prag 824.

RAUCH, in Verm. Abh. a. d. Geb. der Heilk. v. e. Gesellsch. pract. Aerzte in St. Petersb. Samml. II. Petersb. 823. S. 142.

LOUIS, in Arch. gén. de Méd. Vol. V. Mai 825.

KRIEG, in Bad. Annalen. 825. H. 1. p. 75.

L. G. HESSE, in PIERER'S allg. med. Annalen. 826. Decemb.

ARMSTRONG, an account of the diseases most incident to children. Lond. 777. p. 32.

J. HUNTER, in Philosoph. Transact. 772. Vol. 62. p. 447.

J. HUNTER, Bemerk. üb. d. thier. Oeconomie. Uebers. m. Anmerk. v. SCHOLLER. Braunsch. 802. S. 30.

A. GERARD, des perforat. spontanées de l'estomae. Par. 803. In Samml. auserl. Abh. Bd. XXI. S. 251—322.

MORIN, Considér. génér. sur l'érosion. Par. 806.

ALIBERT, Nosologie naturelle. Par. 807. T. I.

BURNS, in Edinb. med. and surg. Journ. Vol. VI. 1810.

JAEGER, in Hufel. Journ. 1811. St. 5. S. 7. 813. St. I. S. 15.

A. F. HECKER, Kunst d. Krankh. d. Menschen zu heilen. Erfurt 818. Bd. I. S. 349.

J. FEILER, Pädiatrik. Sulzbach 814. S. 193.

CRUVEILHIER, Méd. pratique, éclairée par l'anat. et physiol. pathologiques. I. Cah. 821. p. 30—139; in Samml. auserl. Abh. Bd. XXX. S. 187—273.

CRUVEILHIER, üb. d. gallertart. Magengrunderweichung. A. d. Franz. mit Anm. v. C. VOGEL. Liegn. 823.

DEGRANGES, Journ. de Méd. 821. Août.

ZELLER, D. de natura morbi ventriculum infant. perforantis. Tubing. 818; deutsch in WEBER'S Samml. Tübinger Dissertat. Bd. I.

J. H. WENZEL, D. de foraminib. post mortem in ventriculo inventis. Gött. 818.

GUTKNECHT, in Kasper's Wochenschr. 812. Nro. 48.

LANDSBERG, in Hufeland's Journ. 842. Jan.

ROKITANSKY, l. c. Bd. III. S. 15.

PITTSCHAFT, in RUST'S Magaz. Bd. 21. 826. H. 2. p. 199.
ROMBERG, in CASPER'S Wochenschrift 837. Nr. 30; SCHMIDT'S Jahrb. Suppl. Bd. II. S. 69.
CANSTATT, in SCHMIDT'S Encyclop. Bd. IV. S. 457.
CARSWELL, in Revue médic. Mars. p. 528.
C. A. TOTT u. G. F. MOST, Encyclopädie etc. Lpz. 834. Art. Gastromalacie.
ZARTMANN, D. de perfor. ventr. Berol. 829.
LAURENT, D. de destruct. gelatinosa ventriculi apud infantes. Berol. 829.

VITA.

Ego, ELIAS SCHOENLANK, Gubenensis, natus sum die IV m. Martii anno h. s. decimo, patre ABRAHAMO, matre ROSA e gente SALOMONIA, quibus parentibus dilectissimis vivis et integris valde gaudeo. Fidem sequor veterem. Primis litterarum elementis in schola elementaria, quae in urbe patria est, imbutus, annum decimum tertium agens Berolinense gymnasium leucophaeum, cui tum director KOEPKE jam beat. praeerat, adii et per octo annos frequentavi. Deinde maturitatis testimonio instructus, anno quadragesimo primo h. s. almam litterarum universitatem Berolinensem petii, ubi ab Ill. DIETERICI, t. t. fasces academicos tenente, receptus et apud Ill. JUENGKEN, ordinis medici decanum spectatissimum, nomen rite professus, per quadriennium his praelectionibus interfui:

Ill. HECKER de encyclopaedia et methodologiae medicinae;

Ill. MITSCHERLICH de chemia;

Cel. DOVE de physice;

Ill. TRENDELENBURG de logice;

Ill. LICHTENSTEIN de zoologia;

Ill. MUELLER de anatomia humana, de physiologia;

Ill. SCHULTZ de physiologia;

Ill. WEISS de mineralogia;

Ill. MITSCHERLICH de mineralogia.

In arte cadavera rite secandi Ill. MUELLER et SCHLEMM mihi duces fuerunt.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis virorum Ill. et Cel. WOLFF, JUENGKEN, BUSCH, KLUGE, SCHMIDT, ROMBERG, SCHOENLEIN, DIEFFENBACH interfui.

Omnibus, quos nominari, praeceptoribus, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratiosi medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgica honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Gastromalacia, dum vivit aegrotus, certo dignosci non potest.
2. In hydrocephalo chronico paracentesis prorsus rejicienda est.
3. Digestio non est processus mere chemicus.